



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17



- |     |           |   |
|-----|-----------|---|
| Nr. | Gräffdes  |   |
| 1.  | Struv     | De actibus et contractibus correptivis                          |
| 2.  | Aurm      | - pactis legitimis et conditionibus ex lege merito suspectis.   |
| 3.  | Cocceji   | - usu et differentia pactorum et stipulat.                      |
| 4.  | Conradi   | - pacto fiducia.  |
| 5.  | Stein     | - dissonantia jur. civ. et can. cum usu fori circa pacta.       |
| 6.  | Steger    | - natura pacti de non petendo.                                  |
| 7.  | Struv     | - jure colonario.   |
| 8.  | Hohelfel  | - mercatu corporum humanorum.                                   |
| 9.  | Cocceji   | - doli, culpe et negligentiae praestatione in quolibet negotio. |
| 10. | Wagner    | - arbitrio judicis circa praestat. culpe in contractibus.       |
| 11. | Bremen    | - Tractatibus.  |
| 12. | Leternam  | - valore pactorum quibus praeparantur contractus.               |
| 13. | Reinhart  | - rebus in dominio publico existentibus                         |
| 14. | Willberad | - Consalibus v. Müdler.   |
| 15. | Müller    | - Obligata x. Cunctatione.                                      |
| 16. | Weidler   | - Traditione rerum.   |
| 17. | Tenzel    | - usum citra conventionem vel morem praestandi.                 |

- |     |             |   |
|-----|-------------|---|
| Nr. | Grasfeld    |   |
| 18. | Pentzel.    | De altero tanto usurario.   |
| 19  | R. Thomafus | An mercator usuras pretii pro merce vendita et tradita tardius soluti possit exigere. |
| 20. | Hombeyg     | usur. in contractibus stricti iuris   |
| 21. | Hunold      | paeto pignori antiarctico.  |
| 22. | Frumer      | effectu hypothecae post resolutionem dominium constituitur.                           |
| 23. | Sturm       | prescript. reluiti pignorum.  |
| 24  | Hering      | iure pignori perdurante in domo exusta et reedificata.                                |
| 25. | Pentzel     | hypotheca tacita quatenus libros auditorum afficit.                                   |
| 26  | Zoll        | senfe reservativo   |
| 27  | Schweder    | actio publ: ad pignori publ: consti.  |
| 28. | Baspireller | contractu emphyteutico  |
| 29. | Masov       | iure emphyteutico.  |
| 30. | Pentzel     | probat. et reprobat. bon. constitorum.  |
| 31. | Hoffmann    | emphyteosi.   |
| 32  | Baspireller | prescript. immunitatis ab oneribus publicis.  |

J.

38

ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
H<sup>r</sup> T<sup>r</sup>  
DECANVS  
CHRISTOPHORVS  
L V D O V I C V S  
C R E L L I V S D

POTENTISSIMI REG. POLON. ET PR. EL  
SAXON. S<sup>r</sup> R<sup>r</sup> F<sup>r</sup> H<sup>r</sup> T<sup>r</sup> VICARII CONSILIARIVS AVL  
DIG. INF. ET NOVI PROFESSOR PVBLICVS ORDI  
NARIVS CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABI  
NATVS VITEMBERGENSIS  
ASSESSOR

*LECTORI BENEVOLO*

S<sup>r</sup> P<sup>r</sup> D


ORDINIS IURIDICI  
ACADEMIAE VITIMBERGENSIS

DECANVS  
CHRISTOPHORVS  
F. D. O. V. I. C. V. S.  
CRELLIVS D.

POLYGRAPHIS...  
HIC...  
MAGIS...  
PATER...

LECTORI BR...  
S. T. D.





Recte aliquando gausus est  
PLINIUS SECVNDVS (a)  
de INGENIORVM LIBE-  
RALIVM PROVENTV, cum  
existimaret, multum referre,  
utrum se proferant INGENIA hominum, et  
publice ostentent, an debilitentur atque  
obdormiscant. Ipsi certe PRINCIPES, quan-  
to quisque illorum melior, tanto diligen-  
tius, semper aluerunt INGENIA, non solum  
propter fructum temporis praesentis, sed,  
inprimis, propter spem futuri. Cogitauerunt

A 2

runt

---

(a) Plin. L. 1. ep. 13.

runt enim, quod TACITVS *in uita Agricolae* (a) obseruauit, ut corpora lente augeant, cito extinguantur, ita ingenia facilius OPPRIMI, quam REVOCARI.

Enimvero non ad gloriam et celebritatem patriae duntaxat pertinet, si ingenia prodeant certatim, atque efflorescant, sed sensus felicitatis communis ad totam rempublicam peruenit, atque omnes ordines attingit. Quod cum intelligeret CALLISTRATVS l. 12. D. de *Decur.* ciuitates illas, quae VIRORVM HONESTORVM COPIAM habeant, felicissimas esse iudicat: cum reliquae multas indignitates admittere cogantur, et ne illi quidem, qui flagellis publice ab Aedilibus caesi essent, quamuis hoc indignum uideretur, ab honoribus arceri possint in illis ciuitatibus, quae inter suos non inueniant uiros idoneos, quos ad rempublicam administrandam, aut munera suscipienda, adhiberent. Agnoscit illam difficultatem VLPIANVS l. 2. §. 1. D. de *Iure immunit.* et de PENVRIA HOMINVM conqueritur, quae dura sit NECESSITAS, et cogat subinde, si uiri idonei et probi non inueniantur, quibusdam rebus locum dare, quae, cogitatione

---

(a) Tacit. in Vita Agric. c. 3.



ne temporis futuri, omnino periculosaē uideantur.

Quae cum ita sint, non inconsulte optimi principes de *MULTITVDINE CIVIVM* et *πολυανθρωπία* laborarunt; non, ut multos inuitiles et uerueces alerent in ciuitate, sed quia facilius inter multos quidam *PROBI* et *IDONEI* inueniuntur. *AVGVSTVS* enim, apud *DIONEM CASSIVM*, (a) cum de *maritandis ordinibus* uerba ad populum faceret, *πολυανθρωπία* inprimis *εὐανδρίας* causa a maioribus commendatam, et gloriam populi Romani, non solum ex uirtute, sed etiam ex *MULTITVDINE* ciuium, enatam esse, ait; cum illi, contra, et rempublicam et uirtutem oppressisse uideantur, qui, eam quasi effoetam destituentes, sterilitatem aliquam non modo ciuium, sed etiam bonarum mentium, subinde induxissent. (b) Imo uero *D. HADRIANVS* maluit imperium Romanum *MULTITVDINE HOMINVM*, quam *COPIA PECVNIARVM*, ampliari: cum illae sint maximae diuitiae, ad quas ipsi etiam barbari cohorrescant, si respublica ciuibus abundet. Ita enim *PAVLLVS* tradit l. 7. §. 3. *D. de*

A 3 Bon.

(a) Dio. Cassius l. LVI. p. 656.

(b) Id. cit. l. p. 659.

*Bon. damn.* Hoc est, quod IULIANVS legem Papiam Poppaeam interpretatione adiuuandam esse ait, cum lata sit SOBOLIS PROCREANDAE caussa, adeoque UTILIS omnino reipublicae et salutaris esse uideatur, et contineat spem MULTITVDINIS et posteritatis. l. 64. D. de *Condit. et demonstrat.*

Igitur nemo facile dubitat, magnum securitatis PVBLICAE momentum in MULTITVDINE INGENIORVM et ciuium uersari. Sed non PVBLICE duntaxat, uerum etiam PRIVATIM salutare est, et cum SINGVLORVM commodis coniunctum, si respublica MULTITVDINE ingeniorum et ciuium amplificetur. Ut enim taceam fructum publicae utilitatis plerumque per omnes ordines diuidi, et ad singulos etiam, priuatosque, peruenire: tantum certe abest, ut paucitas ciuium, aut bonarum mentium sterilitas, quibusdam priuatis prodesse possit, ut augeantur potius, ex copia ciuium, priuatae cuiusuis rationes, atque ad singulos etiam quandoque insignes quaedam perueniant et praecipuae commoditates, propter quas omnino malint, rempublicam ciuibus locupletari.

Non

Non attingam parentes illos, quos, sci-  
mus, suorum duntaxat LIBERORVM multi-  
tudine subinde IMMUNITATEM impe-  
trasse. Neque enim per LEGEM PAPIAM  
POPPAEAM demum praemia illis constitu-  
ta sunt, qui MULTOS liberos progenuerunt;  
sed potius longe ante illa tempora, *P. Vale-  
rio et T. Lucretio Coff.* placuit, portoriis et  
tributo plebem liberari, quae multos liberos  
fufciperet, et ciuitati educaret: cum satis  
ftipendii pendere censendi sint, qui poste-  
ritatem reipublicae praestarent. (a)

Vnum tamen attinet monere, parenti-  
bus quandoque liberorum multitudinem ad  
GRATIAM DELICTI VENIAMQVE impe-  
trandam profuisse. HADRIANVS enim,  
quod DIO CASSIVS monuit, (b) si damnan-  
di essent, qui multos liberos progenuissent,  
*πρὸς τὸν ἀριθμὸν τῶν παιδῶν τὰς τιμὰς*  
*αὐτῶν ἐκέφισεν*, pro NUMERO liberorum  
de poena aliquid remisit. Apud Paullum  
etiam, l. 7. §. 3. D. de *Bon. damnat.* extat  
rescriptum D. Hadriani, in quo caussam li-  
berorum Albini, qui ex delicto sententiam  
pas-

(a) Liu. L. II. c. 9.

(b) Dio Cass. Excerpt. Pedesc. p. 715.

passus erat, propter NUMERVM filiorum, FAVORABLEM appellat: ut intelligatur, non prorsus infructuosam fuisse MULTITVDINEM, quam quis domi in familia haberet.

Sed magis hoc loco meretur obseruari, non SVOS duntaxat cuique LIBEROS, sed EXTRANEORVM etiam multitudinem, et omnem COPIAM VIRORVM prudentium et honestorum, reliquis etiam patribus familias proficuum, contra, PENURIAM hominum in ciuitate, singulis plerumque perniciosam et incommodam fuisse. Illud imprimis obseruatum est, cum de IMMUNITATIBVS et VACATIONE quaereretur. Has enim, constat, ODIOSAS et inuisas fuisse Iure quiritium, ut interpretatione restringendae uiderentur, et cauendum, ne onera ciuitatis, ab uniuersis perferenda, ad paucos et imbecilles peruenirent. Hoc VLPIANVS docet, qui IMMUNITATEM, GENERI cuiusquam POSTERISQVE datam, negat ad illos pertinere, qui EX FOEMINIS prognati essent: quamuis MODESTINVS l. 83. §. I. D. de Leg. 3. tradiderit, in aliis caussis, POSTERORVM appellatione, omnes omnino liberos, atque etiam ex foeminis coniunctos,

ctos, comprehendi. Sed, uti diximus, im-  
munitates STRICTAM duntaxat INTERPRE-  
TATIONEM admittebant. At uero STRI-  
CTISSIMA fuit illa interpretatio, si ciuitas,  
quod CALLISTRATVS obseruat, l. 12. D. de  
*Decur. VIRORVM* honestorum et prudenti-  
um COPIAM omnino non haberet. Tunc  
enim etiam illi, quibus leges IMMVNITA-  
TEM et VACATIONEM dabant, munera pu-  
blica obire cogebantur. Audiamus VLPI-  
ANVM, qui l. 2. §. 1. D. de *Iure immunit.*  
uix sibi temperauit, quin etiam IMPVBE-  
RES quandoque ad honores et munera su-  
scipienda adigeret, si necessitas PENVRIAE  
HOMINVM illud imperaret. Imo uero i-  
dem, quem antea laudauit, CALLISTRA-  
TUS, alio loco, ne SENECTVTI quidem et  
grandibus natu penitus pepercit, si ex EA  
CIVITATE sint, in qua non facile VIRI  
SUFFICIENTES publicis muneribus inueni-  
antur. l. 5. pr. D. de *iure immunit.*  
Quamuis enim ceteroquin in ciuitate  
Romana propemodum eadem VACATIO  
et IMMVNITAS SENECTVTI, quae  
magistratibus, tribueretur; tamen necessi-  
tas iubebat, ut, propter HOMINVM PE-  
NVRIAM, etiam senes ad munera publi-

B

ca

ca suscipienda cogentur. Ex eo-  
dem fonte deriuatum est, quod etiam  
MINORES uiginti quinque annis, secun-  
dum CALLISTRATVM, EX CAUSSA, ad mu-  
nera publica quandoque admittantur. l. ii. D.  
de *Decur.* neque illis profit illa immunitas,  
quam VLPPIANVS ait MINORIBVSXXV. an-  
nis ab ipsa fere natura esse attributam. l. 8.  
D. de *Muner.* Idem enim VLPPIANVS alio lo-  
co rem interpretatur, et, si uiri IDONEI defi-  
ciant in ciuitate, multa extra ordinem re-  
cepta esse, docet, ut ne senibus quidem aut  
minoribus parcatur l. 2. §. 7. D. de *Vacat.*

Illud certe ex his, quae adhuc obser-  
uata sunt, apparet, IMMUNITATEM et  
VACATIONEM, uel a NATVRA, uel LE-  
GE, uel ab ipso PRINCIPE, quibusdam ciui-  
bus concessam, non omnino PERPETVAM fu-  
isse, multa arbitrio iudicis permissa, saepi-  
us haec beneficia restricta per INTER-  
PRETATIONEM, non raro propter CASVS  
IMPROVISOS et REPENTINAM aliquam  
NECESSITATEM, inprimis propter PENVRI-  
AM ciuium honestorum, neglectum ius uaca-  
tionis et immunitatis, denique incertum fere  
et non satistutum huius beneficii fructum ci-  
uibus

uibus fuisse. Sed de his et similibus copiose exposuit Cl. CANDIDATVS noster, IOANNES CHRISTIANVS SCHVMANN, Dresdensis, Aduoc. Immatric. et Notar. Publ. Caesareus, cuius honori ut inferuiremus, haec a nobis disputata sunt. Ille suo exemplo, uitaque ante acta, comprobauit felicitatem nostrorum temporum, quibus nunquam desunt INGENIA PROBA ET ERECTA, ad fructum praesentem, et spem temporis futuri, comparata. Igitur ipsum audiemus.

*Dresdae Anno MDCCIX. d. XIX. Februarii, patre CHRISTIANO AVGVSTINO SCHVMANN, Calculatore Aerarii Regii Steuralis, matre IOHANNA CATHARINA, IOHANNIS HIERONYMI HOFFKVNZII, quondam librarii Regiminis Regii et Electoralis, (nostri CANCELLISTAM appellant) filia, prognatus, a teneris annis dexterrimorum Virorum priuata institutione usus sum. Postea uero, elementis litterarum et pietatis, quibus iuuenilis aetas imbuenda est, enutritus, mox traditus sum*

B 2

fidei

*fidei Cl. GELLENII, quondam Recto-  
ris Lycaei Dresdensis, atque Cl. ZIEGEN-  
HALSII, qui nunc Dresdae Correctoris  
munere summa cum laude fungitur, quo-  
rum fide et institutione me multum profe-  
cisse gratissima mente profiteor. Positis ita  
fundamentis litterarum, quae ab humani-  
tate nomen ducunt, ad Academicarum di-  
sciplinarum studium, Lipsiam me misit pa-  
rens: ubi Viro, summe reuerendo D. HEN-  
RICO KLAUSINGIO, sceptrum Aca-  
demica teneute, numero ciuium Aca-  
demicorum, d. XVII Mensis Maii Anno  
M DCC XXVII. sum adscriptus. Ini-  
tium Philosophiae praecipue operam naua-  
ui, atque Collegia Cl. D. AVGVSTI  
FRIDERICI MVLLERI frequen-  
taui, simul in elementis Iurisprudentiae  
accipiendis Excell. D. KVNHOLDVM  
atque D. KAESTNERVM duces ha-  
bui. Postea huic studio totum me dedi,  
atque*



atque Ill. GRIEBNERI, Icti Consummatissimi, lectionibus publicis atque privatis, quibus Ius Naturae, Institutiones, Pandectas, Ius Feudale, Ius Protestantium ecclesiasticum, ordinationem Processus Saxonici recognitam, explicavit et illustravit, interfui. Historiam temporum et doctrinam Iuris publici, Viris Excellentissimis, MASCOVIO atque FRANCKENSTEINIO, docentibus, insigni cum fructu tractavi. Deinde in disputando me exerciturus, primum, D. III. Aug. Anni M DCC XXIX. dissertationes Theor. et Pract. arb. Consangu. et Affinit. I. et II. ex Gymnasio Polemico MENCKENIANO, sub Praesidio Exc. D. KVNHOLDI, deinde, theses quasdam Iuris controuersi secundum ordinem Pandectarum, sub Praesidio Excel. D. ANDREAE FLORENTIS RIVINI, qui nunc in hac

Academia Vitembergensi munere Pro-  
fessoris Publ. Inffit. nec non Facult. Iu-  
rid. et Curiae Prouincialis Assessoris, con-  
spicuus est, D. VIII. April. Anni  
M D C C X X X. publice defendi. Ab-  
soluto quadriennio studii iuridici, An-  
no M D C C X X X I. ab Academia Li-  
psiensis Dresdam reuersus, et ductu Prae-  
clarissimi Dn. ERNESTI CHRI-  
STIANI LEHMANNI, Pri-  
marii Procuratoris Steuralis, cuius beneuo-  
lentiae multa me debere gratissimus agnosco,  
per aliquot annorum seriem, ad tractandas  
causas, quae in foris obueniunt, sum pro-  
gressus. Tandem huic uitae generi, quamuis  
a fori strepitu non nihil abhorrerem, sensim  
assuetus, Anno M D C C X X X I I I. speci-  
mina, quae lege Sax. ab iis, qui ad praxin  
forensensem adspirare cupiunt, exiguntur, a-  
pud Facultatem Iurid. Lips. et deinde in Re-  
gimine Regio Dresd. edidi, et ex illo tempo-  
re

*re causas clientium in superioribus et inferioribus iudiciis tractavi.*

Hactenus Candidatus noster.

Sed his quidem artibus enutritus, atque in hac palaestra per tempus non exiguum uersatus, mirifice profecit, et, cum nuper periculum sui faceret, doctrinam multo studio quaesitam et rerum forique usu confirmatam Ordini nostro, in utroque examine, eo successu comprobauit, ut dignissimus uideretur, cui honores in arte nostra summos, quos a nobis petiit, cum bonis ominibus, et gratulatione omnium, promitteremus. Hos igitur ut proxime adipiscatur, mori maiorum satisfaciet, et d. XI. Nouemb. in Auditorio Maiori, Praefide Viro Illustri et Magnifico, Dn. GEBHARDO CHRISTIANO BASTINELLERO, Icto, Sac. Reg. Maiestat. Poloniae, ac Princip. Elector. Saxoniae, Sacri Romani Imperii hoc tempore Vicario, a Consiliis Aulae, Codicis Professore Publico, Curiae Prouincialis, Senatus Ecclesiastici et Scabinatus Assessore, Ordinis nostri Collega Seniore, Patrono meo diligentissime

sime colendo, Dissertationem inaugurale m  
de eo, quod iustum et aequum uidetur, in  
Praescriptione immunitatis ab oneribus pu-  
blicis, a se concinnatam, horis ante et post  
meridiem consuetis, publice defendet.


Ipsae pro illo litterae et Musae depre-  
cantur, ut res prosperrime succedat. Sed  
Vos quidem, Rector Academiae Magnifice,  
Perillustri L. Baro, Patres Conscripti, de-  
nique Vos omnes, qui uirtuti et ingeniis fa-  
fetis, tum Ordinis iuridici tum meo nomine  
uehementer et enixe rogo, ut Candidati o-  
ptime merentis laudi et honori praesentes ani-  
mis linguisque faueatis. P. P. Dom. XXI post  
sacrum Trinit. Anno, quam salus parta est,  
c1o 1o cc xxxx

---

VITEMBERGAE

---

LITERIS EX OFFIC. EICHSFELDIANA





00 A 6470

ULB Halle 3  
002 931 303




A

VI 17  
VD18









B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

38

ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI

H<sup>r</sup> T  
DECANVS  
CHRISTOPHORVS  
W DOVICVS  
CRELLIVS D

NTISSIMI REG. POLON. ET PR. EL  
S. R. I. H. T. VICARII CONSILIARIVS AVL  
F. ET NOVI PROFESSOR PVBLICVS ORDI  
VS CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABI  
NATVS VITEMBERGENSIS  
ASSESSOR

*LECTORI BENEVOLO*

S P D

